



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita S. Liborii Episcopi, Calcvlo Laborantivm Patroni**

**Bolland, Johannes**

**Antverpiae, 1648**

Capvt VII. Carnoti & Parisijs gesta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9573**

cidisse. Ad quem erigendum cum aliqui ex plebe cucurrissent, iacuit omnino sine motu aliquo, ut ab omnibus esse mortuus non dubitaretur. Post paullulum tamen erectus ad sedendum, coepit sensim quasi reuiuiscere: & sequenti die coram populo laudes Saluatori suo rependens, sanus apparuit, ac si numquam a maligno fuisset hoste vexatus.

a De ea fraternitate egimus supra.

b Vulgo Pontlieue. in Vita S. Hadoindi Ep. 20. Ianuarij cap. 1 n. 3. Pontilema appellatur (forsan vitiose pro Pontileuca, aut, ut hic, Pontileuua) & Pontilemalense xenodochium; forte Pontileuualense. Pontileuualense xenodochium etiam pro diuitibus.  
 Domnus Bartichrannus eiusdem vrbs Episcopus, ut ibi dicitur, ipsum xenodochium in Pontilema in honore S. Martini fecerat, ut omnes aduentantes, tam diuites quam & pauperes, ibi receptiones haberent, & alimenta & onera necessaria abundanter inibi acciperent. Colitur S. Bertichrannus 6. Iunij.

c Symphoriani legendum, ut patet ex breuiori historia infra num. 7. celebris in Gallia S. Symphorianus Martyr Augustodunensis 22. Augusti: Symphorium nusquam legi.

C A P V T VII.

Carnoti & Parisijs gesta.

31. P Roinde cum tantis Diuinorum beneficiorum donis, velut caelestibus radijs, micantem viam lati carperent, quae plus quotidie gaudij, quam fatigationis offerret; contigit, ut ad ciuitatem Carnotensem, satis amplam & populosam, deuenirent. Cuius vrbs

occurrit cum Clero Episcopus Carnotensis

H 2

Episco-

Episcopus, a Bernuinus nomine, iam tum ætate simul & moribus valdè maturus, collectis ex more Presbyteris, eo tempore synodum in vrbe celebrabat. Cui cum nuntiatum esset, qualiter & quo ordine assumptum Cenomanis corpus præfati Confessoris, suæ iam vrbi appropinquaret, statim cum omni illo sacro Sacerdotum collegio, totoque Clero suo & populo, processit in eius occursum, atque cum hymnis & canticis spiritalibus illud deuotissimè extra urbem longè progressus excepit, iussitque vt deferretur per viam, quæ ducit foras muros ciuitatis ad oratorium, in quo S. b Carauni membra requiescunt. Cumque cateruatim sequente grandi multitudine ad memoratum locum honorificè duceretur, sonantibus signis per totam urbem, & populo excelsâ ad Deum voce proclamante, vt tantam sibi gratam esse deuotionem Dominus declararet, multa ibidem per B. Liborium fieri signa concessit. Ex quibus vnum præcipuum hoc loco memorare decreuimus, reliqua, vitandæ prolixitatis causâ, intermittentes.

sonantibus  
campanis:

facta ibi  
miracula:

contracta  
sanata:

32. Puella, quæ ab exordio miserandæ natiuitatis, membris ferè omnibus curua, & velut in globum contorta, numquàm vel mentum à genibus leuare, vel plantas pedum à femoribus remouere valebat, ante loculum sanctorum cinerum deportata, singulorum officia membrorum cum integerrimâ sanitate

rate suscepit. Sed quoniam brevis illa vestis, quâ contractum prius corpusculum facilè tegebatur, iam erectè stanti non sufficiebat, quin ex parte nuda videretur; citissimè fideles quique (nam in ecclesiâ corâ Clero & populo res gesta est) raptis fœminarû facitergulis eam contexere, donec allatis sibi congruis indumentis vestiretur. Ibi ergo cum spiritali lætitiâ noctem illam transigentes, primo manè optatum iter arripuere.

33. Appropinquantes verò Parisiensi civitati, quam fluentis Sequanæ cinctam, c Iulius Cæsar condidisse, & ob similitudem insulæ maris, d Isius nominatæ, Parisius fertur appellasse; simili modo ab Episcopo loci illius e Er- canrado nomine, omniq̃ue populo, vltra pontem stratum super memoratum fluuium occurrente, suscepti, & in principalem eiusdem urbis ecclesiam deducti sunt. Erat autem dies Dominica. Cumq̃ue Missarum ibidem solennia celebrarentur, deducebatur in medium fœmina quædã de viciniâ eiusdē loci oriunda, quæ cum pœnâ grauissimâ nata, in eadem præteritum vitæ suæ tempus exegerat. Muta enim à natiuitate & surda, tertio insuper tormento subiacebat, quòd videlicet mente capta, spiritu agitabatur immundo. Hæc in conspectu omnium ad Missas circumstantium vehementer anxari cœpit & sudare, postremò in pavementum ruit. Post celebrationem mysteriorum, ad mansionem deportata est,

excipiuntur  
Parisijs ho-  
norificè:  
c.  
d.  
e.

musa, sur-  
da, stulta, &  
energumena  
sanatur:



& ad vesperum rursus in ecclesiam delata, ibi cum multis alijs pernoctabat. Statimque ut albescente polo roseum auroræ iubar illuxit, lux magnæ misericordiæ Dei, effugatis ab eâ tenebrosis tortoribus, & auditus illi & vocis facultatem condonavit. Obstupuere magno-  
perè cuncti, qui aderant, videntes eam in vno momento ita immutatam, ut & vacua esset à dæmone, quo plena erat, & plenum haberet membrorum officium, quo vacua fuerat.

34. Euntibus autem illis iuxta f Montem Martyrum, cum essent iam à dextro latere insignis g monasterij S. Dionysij, occurrit ibidem seruulus quidam de familiâ eiusdem Martyris, quem & Sacerdotes & cuiuscumque gradus Clerici, necnon & plures laici, contestati sunt ab exordio natiuitatis suæ auditus pariter & loquelæ vsu penitus caruisse. Qui appropinquans sacris pignoribus, ubi vidit plures è populo pro suâ quemque facultate in honorem S. Liborij, ad eius loculum iactare munuscula, & ipse quoque satis deuotè aliquid de vestimentis proprijs illuc offerre nitetur. Cuius extemplò adiutus intercessione, apertis auribus & soluto vinculo linguæ in eadem horâ Dei laudes canentem populum audiuit, & ipse simul cum gaudio decantauit.

a *Claudius Roberus Hieronymum, & Berninum appellat: alij Geruinum, uti Coruasserius refert.*

b *S. Carauni, siue Karauni, Carnutum Apostoli, Gallicè S. Cheron, natalis agitur 16. Maij.*

c *Ne-*

7-77  
72  
777  
27  
7-  
7

*alicus mutus*

*& surdus:*

f

g

c Neque Parisiorum urbem Caesar condidit, neque ea fortassis sic nuncupata illius auro: sed ciuitas vniuersa, siue gens ipsa, Parisij dicta: urbs precipua Lutetia, non ab ipso primùm sic appellata, sed antea (vt lib. 7. de bell. Gall. pater) eo nomine nota, eodẽ ferè etymo, uti reor, quo in Eburonibus Leoticus, siue Leodicus vicus, etiam tempore Caroli Magni dictus, qua nunc urbs magna Leodium. Idem enim sunt Leodes, Leudes, Luidi, liudi, luiti; & fortè læti, ac leti: Teutonicè, luden, luyden, lieden, populi, & nonnumquam clientes, siue homines, aut vasalli. Eadem notione Leodienses Gallicè urbem suam Lige vocant, quòd villa ligia, siue latia, id est, militum aut hominum ligiorum, seu vasallorum olim fuerit, cum in propinquo Iupilia esset palatium regium. sed hac alibi indicata. Quod quidam Lutetiam à luto dictam volunt aut quasi λουκτιου à candore, erudito nulli prababunt: unde Latina Græcave vocabula, apud interiorem Galliam, Celticã tunc linguã utentem?

Lutetia &  
Leodium  
unde?

d Nota Ortelio & antiquis Ifidis insula, portus, templum, oppidum, regio; diuersa omnia: at nusquam nobis Ifis insula lecta. Parisij potius videri possunt ab Ifiã, siue Æliã amne, qui nonnullis etiam Ifarra, appellati: ab eius enim leuã ripã colebant ad Matronam ac Sequanam amnes, inter Bellouacos ac Meldas. Ipsa Lutetia olim posita erat in insulã fluminis Sequanæ, in quã nunc quoque templum Cathedrale, prolatis utrimque longissimè pomœrijs.

unde Parisij?

c Claudius Robertus duos eius nominis statuit Parisiorum Episcopos, quorum prior interfuerit an. 829. Parisiensis concilio, (in quo tamen illius nomen non exprimitur) alter electioni Hincmari Remensis Archiep. an. 845. & Parisiensis concilio an. 846. Medios locat Ermanfredum, de quo nihil memorat, & Inchadum, quem interfuisse ait restitutioni Ludouici Pij an. 835 obiisse 839. At concilio ad Theodonis-villam, in quo reconciliatus Ludouicus, Ebbo Archiep. Remensis de Erchanradus positus, Inchadus nullus, sed Erchanradus Episcopus Ep. Parisiensis sub-unicus.

H &

sub-unicus.

*subscriptus. Anno vero 836. à concilio Aquisgranensi II. ad Pippinum Aquitania Regem missi Aldricus Cenomanica urbis & Herchinradus Parisiorum Episcopi. Atque ex hoc ipso coetaneo scriptore patet, Ercanradum tunc Episcopum fuisse, non Inchadum. In Parisiensi concilio an. 846. Erchenradus appellatur; apud Flooardum lib. 3. cap. 1. Ercamradus.*

*Mons Martyrum.*

*f Gallicè Mont-matre. in eo casus capite S. Dionysius Parisiorum Apostolus, cum SS. Rustico & Eleutherio, de quibus agemus 9. Octobris. Distabat is locus ab urbe Lutetiâ mille circiter passus, celebratus in annalibus nostris, quòd isthic in ade Deipara Virginis S. Ignatius Loyola cum Socijs aliquot, votis Deo nuncupatis, prima posuit conflanda Societatis fundamenta.*

*S. Dionysij monasterium.*

*g Sepultus fuit S. Dionysius in fundo Catulliaco, à Catullâ piâ muliere: ubi dein vicus coaluit, qui in Viâ S. Genouefa 3. Ianuarij cap. 4. nu. 16. Catholacensis appellatur, siue Catholacensis, & in 2. Viâ n. 14. Catholicensis, diciturq; in sexto à Parisius miliario situs. Dagobertus Rex sumptuosissimam isthic ecclesiam & monasterium edificauit, quod varijs deinde priuilegijs, reliquijs, Regum mausoleis ac donarijs ornatum.*

## C A P V T V I I I .

### *Iter per Belgium ad Rbenum usque.*

35. **I**Nterim festinantes cum summâ alacritate iter suum peragere, deuenerunt ad villam, quæ a Gebaloha nominatur. Vbi, sicut antea multorum fides & deuotio remunerata, sic etiam quorundam contumacia dignâ est correptione castigata. Contigit namque ibidem, vt fluuiolum quemdam transire deberent.